

# IN FESTO SS. INNOCENTIUM.

EVANGELIUM. MATTH. II.

In illo tempore, angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, et accipe puerum, et matrem ejus, et fuge in Ægyptum, et esto ibi, usque dum dicam tibi: futurum est enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Qui consurgens, accepit puerum et matrem ejus nocte, et secessit in Ægyptum. Erat ibi, usque ad obitum Herodis, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per prophetam, dicentem: Ex Ægypto vocavi filium meum. Tunc Herodes, videns quoniam illusus esset a magis, iratus est valde; et mittens, occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus, a bimatu et infra, secundum tempus, quod exquisierat a magis. Tunc adimpletum est, quod dictum est, per Jeremiam prophetam dicentem: Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus, Rachel plorans filios suos, et noluit consolari quia non sunt.

## CONCIONES.

- I. *Asseritur Innocentibus gloria cœlestis.*
- II. *Cur fuerit a Christo permessa Innocentium cædes.*
- III. *Quare Christus Herodis furorem fugerit.*
- IV. *Cur in Ægyptum receperit se Christus.*
- V. *De parentum in liberos crudelitate.*
- VI. *Documenta.*

### CONCIO I.

ASSERITUR INNOCENTIBUS GLORIA COELESTIS.

- I. Quia Christi præcones. — II. Quia Christi defensores. — III. Quia innocentes. — IV. Quia virgines. — V. Quia martyres. — VI. Quia martyrum primitiæ.

#### THEMA.

*Noluit consolari, quia non sunt.* Matth. II.

Bene et consulto adducit evangelista Rachelem plorantem infantes ab Herode interfectos; non solum quia ipsa juxta Bethlehem sepulta fuit, et ita velut magna mater omnium Bethlehemitarum, loco omnium matrum parentavit filiis; verum etiam quia cum his infantibus similem eventum sortita est illi, quem habuit cum filio suo Beniamino. Hunc enim enixura, cum angeretur partus doloribus, appellavit *Benoni*, id est, filium doloris sui: at vero Jacob pater, appellavit eum *Benja-*

### CONCIONES AUCTARIUM.

- I. *Justi et innocentes cur hic sæpe tribulentur.*
- II. *Cur etiam mali sæpe tribulentur in hoc sæculo.*
- III. *Quatuor dracones insatiabiles: ira, luxuria, gula, avaritia.*

*min*, id est, filium dexteræ, Gen. XXXV. Pari modo Rachel cum matronis Bethlehemitis deplorat innocentes suos in hodierno evangelio magnis ululatibus, maximis doloribus, utpote sibi ereptos, et dire interfectos, adeoque vocat eos *Benoni*, filios dolorum suorum. Verum cœlestis Pater vocat eos *Benjaminos*, filios dexteræ suæ, quia nimirum eos ad dexteram suam in cœlis collocavit. Hinc ergo Jeremias cum, cap. III. descripsisset planctum Rachelis ob necatos Innocentes, mox eam consolatur his verbis: *Hæc dicit Dominus: Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrymis, quia est merces operi tuo*, (ploratui scilicet tuo, vel, ut vertit Hieron. *filii tuis*) *dicit Dominus: et revertentur de terra inimici* (Herodis) *et est spes in novissimis tuis* (in altero sæculo) *et revertentur filii ad terminos suos*. Consolare igitur, conolare te, o Rachel; quia planctus tuus, et vagitus infantium tuorum conversus est illis in jubulum; siquidem nunc in cœlis cantant canticum

novum, et citharizant in citharis suis, quemadmodum audivimus in epistola hodierna: *Ac si jam non sunt in terra morientium, sunt tamen in terra viventium*. Sane eos Ecclesia velut sanctos eosque martyres coluit semper, et colit in hodiernum. Quanto autem jure istud faciat, nunc videndum.

I. Quia sunt Christi nati præcones et quasi prædicatores. Ita enim testatur Ecclesia, in oratione hodierna: *Deus cujus hodierna die præconium Innocentes martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt*, &c. Prædicarunt autem et confessi sunt vagitibus et cruore suo, ita ut non in Rama solum urbe ad oras Bethlehem sita, sed in Roma quoque audiretur: eorum siquidem cæde audita dixisse fertur Augustus, malle se Herodis porcum esse, quam filium, eo quod inter infantes illos etiam filius Herodis peremptus esset, ut alibi audivimus ex Macrobio. Verum falleris Auguste, præstat Herodis filium esse, quam Augustum imperatorem: illius enim, uti et reliquorum Innocentium præconium, et mors omne tuum imperium, opes gloriamque superavit, quando eos in cœlum extulit et sanctorum albo adscripsit. Tres potissimum præcones nativitatis suæ Christus habuit: angelum, stellam, Innocentes. Angelus Judæis, stella magis, Innocentes toti pene orbi nuntiarunt Christum natum; et propterea illorum præconium tonitruum comparare possumus, quemadmodum audivimus in epistola hodierna; quia procul auditum fuit dæmonibus terribile, velut horrendum tonitruum, hominibus vero amabile, velut vox citharædorum. Quis ergo præcones istos negare audeat dignos cœlo, quod angelum, quod stellam, quod hos denique Innocentes misit ad tam arduum munus?

II. Quia sunt Christi defensores, et quodammodo servatores; primo, quia hoc ipso, quod cœtanei et concives Christi erant; Christum inter se occultarunt, ne ab Herode agnosceretur: deinde, subtracto per fugam Christo, vicario suo sanguine, Herodis stitit extinxerunt, ita ut persequi Christum desineret, quem occisum jam putabat, minime alioquin cessaturus Christum fugientem persequi. Magno beneficio affectit Michol Davidem maritum, quando eum ad necem quasi tum dimisit per fenestram et ipsius loco statuum pellibus affabre coopertam reposuit in ejus lectum, ut ita apparitores eluderet, qui Davidem comprehensuri, simulacrum ejus tantum deprehenderent, I. Reg. X. sed non magno constitit astus hic uxori. Innocentes nostri, cum vitæ suæ dispendio, Christi induerunt personam et quodammodo illius lectum subingressi dum singuli pro Christo habitati sunt, mortem pro ipso subie-

runt. Celebratur inter gentes Q. Ciceronis filius, qui patrem ad necem quæsitus occultavit ne is inveniri posset: et cum in quæstionem adductus omnibus tormentis interrogaretur, nihil enuntiavit, apud Dionem, lib. XLVII. Inter Christianos, quando Thessalonicæ jussu Theodosii imperatoris ita præcipitati, milites ingenti et miserabili cæde (qua septem millia civium perempta sunt) sæviebant in civitatem, inventus est servus quidam, qui hero suo, quo benigno usus fuerat, cum is ad mortem duceretur, opem ferens, seipsum pro eo ad necem alacri animo obtulit, apud Niceph. l. XII. c. XL. Et quid aliud fecerunt Innocentes nostri, dum pro Christo interempti sunt? Tametsi enim gladium Christo decretum non propria electione, sed Dei dispensatione in se exceperunt: eo tamen facto Christum defenderunt. Bene igitur in eos quadrat, quod Cantic. III. dicitur: *Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios*. Quid enim lectus Salomonis, nisi Christi incunabula? Et quinam illi fortes, nisi Innocentes magno numero gladiis insignes, quibus perempti ipsi, Christum infantem tutati sunt? Hoc ergo tam strenuum et fidele servitium Christum in suo regno non remunerabitur? Audiamus S. Paulum, quam honorifice loquatur de suis liberatoribus, ad Rom. XVI. dicens: *Salutate Priscam et Aquilam, adjutores meos in Christo Jesu, qui pro anima mea suas cervices supposuerunt; quibus non solus ego gratias ago, sed et cunctæ Ecclesiæ gentium; quid non faciat Christus Innocentibus, qui pro ipso cervices suas supposuerunt gladiis impiissimi et crudelissimi tyranni?*

III. Quia innocentes sunt, agni absque macula, et hoc ipso gratissima Deo hostia, qualem ipse requisivit, Exod. XII. Innocentes autem sunt, quia nemini unquam nocuerunt, nec nocere in illa tenera ætate poterant; et quia iniquissime perempti sunt, qui ad necem non quærebantur; siquidem Herodi nihil unquam obesse poterant; et quia suo sanguine veram et christianam innocentiam, cœlo dignam acquisierunt. Quis autem inficiabit eos, qui cum innocentes sint, iniqua patiuntur, commiseratione, imo gratia et favore prosequendos esse? Pepercit enim Deus Ninivitis pœnitentibus, etiam propter illam causam, quod in ea degerent plurimi infantes, et pueri prorsus innocentes: *Ego non parcam*, inquit, *Ninive civitati magnæ, in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciunt, quid sit inter dexteram et sinistram?* Jonæ IV. Quinetiam ferox, et efferati animi Turca jussus a Solimanno imperatore quemdam ejus nepotem adhuc infantem strangulare (more et crudelitate Turcis consueta)

sum collo puerili laqueum aptaret, infansque ei arridens, ac se, quoad poterat, e cunis attollens, apertis ulnis complecti et ferre osculum conaretur, ea re sic commotus est, ut non modo infanti vim inferre nequiret, sed anima defectus concideret. Refert Augerius Busbequius, in epist. IV. legat. Turc. Et quomodo posset Christus non misereri innocentium tam indigne peremptorum? Quomodo non resarcire, cladem iis illatam? Quomodo non mortalem eorum vitam immortalis compensare? Quam multi illorum putatis, carnificibus arriserunt, cum ab iis raperentur ad necem, utpote quos nondum didicerant formidare? Et quomodo hoc spectaculum intueretur Christus, ut ex luporum faucibus non eueret hos agnos, et in aulam suam caelestem transferret.

IV. Quia virgines. Tametsi vero eorum virginitas naturæ donum, non virtus fuit, nihilominus tamen amabilis, et propterea cælo digna, quod ex Dei dono in ipsis conservata, et periculo corruptionis per mortem præmaturam subtracta. Triplici enim differentia virgines sunt, ut docet Blas. Viegas, in cap. XIV. Apoc. Primi, qui infantes et pueri decedunt, et hi maximo sunt numero: alii pauciores, qui virgines ex voto seu religiosi sunt: alii denique paucissimi, qui in sæculo virgines degunt. Porro omnes istos Agnum, Christum in sua gloria comitari scribit Viegas, loco cit. quasi designatas a Joanne, Apoc. XIV. numero centum quadraginta quatuor millium, ita ut numerus centum millium ad primam virginum classem, quadraginta vero millium ad secundam, quatuor denique millium ad tertiam classem referendus sit. Quidquid tandem sit, gratulabuntur sibi in cælo Innocentes nostri, saltem quod inquinati nunquam fuerint, tametsi varietatis virtutum coloribus exornare se non potuerunt.

V. Quia martyres, non equidem voluntate, sed causa; siquidem propter Christum, pro Christo et per Christum passi sunt. Propter Christum, quoniam inter ipsos latebat Christus, qui solus quærebatur: ipsi ergo omnes et singuli Christi personam sustinuerunt, velut ejus cœvi et concives. Christus non fuisset, salvi omnes perstitissent. Unde optimo jure dicere id Psalmi XLIII. poterant: *Propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oves occisionis.* Pro Christo, quia pro ejus vita tuenda passi. Alii martyres pro Christi fide et honore martyrium subierunt, isti vero pro ipsa Christi persona servanda: quandoquidem Herodes mactatis hisce agnis persequi Christum desiit, putans eum occisum in parvulis. Illi velut milites in prælio decertantes pugnarunt pro honore Christi contra ejus hostes; isti vero velut amici aut servi fidelissimi gladio Herodiano, qui immi-

nebat Christi cervici, supposuerunt capita sua: illi postquam Christus pro hominibus mortuus erat; isti antequam moreretur, pro eo mortui sunt. Poterant ergo tunc, et possunt adhuc in cælo monstrare Christo vulnera sua et dicere: Pro te et salute tua hæc vulnera excepiimus, quid nobis dabis præmii? Ita aliquando Ladislao Hungariæ et Bohemiæ regi adhuc puerulo Joannes a Brandesio Giscra cognomine, bello præstantissimus, qui pro rege electo multa præclara gesserat, more militari ostendit sua vulnera et cicatrices, quas apud Hungaros rebelles, regis gratia, accepisset, subinferens: *Et quæ spes præmii laborum meorum apud te, mi rex? Ecquid stipendii militi tuo aliquando tribues?* Ad hæc Ladislaus puer dispensatorem adiens, sacculum ejus depromit, et quia sex tantummodo nummos in eo reperit, eos Giscræ donat, dicens se non plures in præsentia habere, quasi olim plus daturus, Hieron. Ziegl. de viris illustriss. Germann. c. C. Vidit ergo puerulus præmium se debere strenuo suo militi, et non viderit Christus vitam immortalem se debere iis, quibus suam mortalem debet? Et si in eo temporis momento nondum eos pro meritis præmiavit, fecit tamen quod potuit, dum in sinum Abrahamæ transtulit et inde quasi e dispensatoris sui sinu protulit ac donavit eis sex nummos, videlicet gratiam, perseverantiam in gratia, spem aureolæ, requiem a laboribus et doloribus, societatem ss. patrum, societatem angelorum: promittens insuper gloriam caelestem et plenam remunerationem, ubi regni sui possessionem accepisset. Per Christum, quia Christus aliquo modo causa interneccionis ipsorum fuit, dum videlicet e patria in Bethlehem migravit, ibi nasci et diebus pluribus commorari voluit. Hinc enim infantes Bethlehemitici in discrimen adducti et sævitia Herodianæ traditi sunt; victuri alioquin, si hunc hospitem non habuissent. Propter teigitur, o Salvator, orta est hæc tempestas: nunquam oritura, si navim Bethlehemiticam non inscendisses. Sciebas, Domine, id Eccl. XXI. *Mittens lapidem in volatilia dejiciet illa;* id vero tu hic fecisti, quando teipsum lapidem angularem infantibus Bethlehemiticis immiscuisti; hinc enim aviculæ illæ dejectæ. Nonne igitur æquum est, ut damnum hæc eis resarcias? Prorsus; idque fecit Dominus, dum aviculas istas de vita mortali et misera dejectas, et in gladium Herodianum velut in veru actas et assatas ad caelestem mensam jussit sibi apponi. Neque refert, quod martyrium hoc per voluntatem non elegerint, sufficit eis causa. Audiamus S. Bernard. serm. un. de Innocent. « An vero, inquit, de Innocentium coronis quis dubitet? Ille pro Christo trucidatos infantes dubitet inter

martyres coronari, qui regeneratos in Christo non credit inter adoptionis filios numerari. Alioquin quando cœvos sibi pueros, puer ille, qui natus est nobis, non contra nos, propter se patretur occidi? Quod utique solo nutu poterat prohibere, nisi melius aliquid eis provideret, ut quemadmodum cæteris infantibus tunc quidem circumcisio, nunc vero baptismus sine ullo propriæ voluntatis usu sufficit ad salutem, sic nihilominus pro eo susceptum martyrium illis sufficeret ad sanctitatem. Si quæris eorum apud Deum merita, ut coronarentur, quære et apud Herodem crimina ut trucidarentur. An forte minor Christi pietas, quam Herodis impietas, ut ille quidem potuerit innocios neci dare, Christus non potuerit propter se occisos coronare? » Hæc Sanctus Bernardus.

VI. Quia primitiæ martyrum, imo Ecclesiæ totius. Scimus Deum, Exod. XXIII. in festo tabernaculorum quod erat in exitu anni, petiisse a Judeis primitias omnium frugum. Impletum est hoc in Innocentibus, qui in exitu anni, eoque tempore, quo Christus habitabat in solo peregrino, velut omnium Christianorum primitiæ Deo oblatae sunt: sic enim appellantur ab Ecclesia in hodierno officio: *Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo et Agno.* Sunt velut præcoquæ illæ ficus, quas desideravit Michæas, cap. VII. (Hebr. primi fructus) cæteris sapidiore; tum ob novitatem tum ob martyrii et innocentia pulchritudinem. Deprehendit nescio quis carnes lupinis dentibus laniatas, esse dulciores, ut scribit Pierius, lib. X. Tales sunt innocentes agni Herodianorum luporum dentibus lacerati. Sunt violæ, primi veris flores. Quod, ut ait S. August. serm. X. de sanct. in medio frigore infidelitatis exortos, velut primas erumpentes Ecclesiæ gemmas quædam persecutionis pruina decoxit. Violæ attrita fragrantiores sunt: similiter infantes isti persecutoris manibus et pedibus contriti, sunt Ecclesiæ fundamenta seu primi lapides ab ipsomet fundatore Christo positi, juxta id Isai. LIV. *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris.* Loquitur ibi ad litteram de Ecclesiæ fundatione, in qua Christus primos lapides stravit, dum infantes gladio Herodis prostravit et in Ecclesiæ fundamentum aplavit, quandoquidem ipsi semet propria electione, quemadmodum alii martyres fecerunt, aptare ad hoc non poterant. Sed quomodo sapphiri sunt? Ex Christi admirum dono, qui eos cælo inseruit et martyrum aureolis condecoravit (quoniam sapphirus caelestem refert colorem aurei punctis quasi stellis collucens) et ita eorum puncturas seu vulnera in stellas commutavit. Protarchus philosophus, teste Aristotele, l. II. phys. for-

tunatos dixit esse lapides, ex quibus altaria fiunt, quæ ab hominibus honorantur. Ego vero rectius beatos dixerim lapides istos, Innocentes nostros, in quibus prima Ecclesiæ fundamenta jacta sunt. Hos secuti martyres innumeri, non adultitantum, sed parvuli etiam ac pene infantes aliqui, ut illorum socii fierent. Apud Homeritas egregium virilis animi specimen edidit quidam puer quinquennis, qui in Nagran civitate a Dunaan tyranno Judæo blanditiis allectus, ut matri ad rogum adjudicatæ valediceret et cum ipso maneret, renuit dicens: *Apage Judæe; non te sed matrem quæro.* Cumque vidisset matrem propter Christi fidem conjici in ignem, momordit tyrannum in femur et cursu ad matrem contendens insiliit in fornacem, matremque amplexus cum ipsa martyr factus est. Refert Procopius, apud Baron. anno 522. Huic merito accensemus alterum illi non dissimilem cum simili etiam matre, quæ (ut scribit Prudentius, in hymno de S. Romano martyre) cum videret filium parvulum ob Christi fidem, Antiochia ab Asclepiade præfecto loris dirissime cædi, constans sine fletu spectavit, quin et filiolum aquæ haustum poscentem objugavit, dicens: *Calicem eum expecta, quem occisi in Bethlehem infantes olim biberunt, et lactis et papillarum immemores.* Puer itaque lætus virgas et dolores vulnerum ridet, damnatur, ducitur cum Romano ad supplicium. Perventum est ad cædis locum, puerum, quem in complexu mater extulit, carnifex poscit, dat illa, præter osculum nihil morata, et dum carnifex cervicem resecat, accinit illa: *Præiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus, ecce servus tuus et filius ancillæ tuæ.*

Habemus igitur quam merito Ecclesia nostris Innocentibus accommodet ea, quæ de virginibus dicuntur, Apoc. XIV. Habent enim vocem tonitruum et citharætorum, quia Christi præcones: *Sequitur Agnum quocumque ierit,* quia Christi satellites, *in ore eorum non est inventum mendacium,* quia innocentes, *cum mulieribus non sunt coinquinati,* quia virgines! Nomen Agni in frontibus gerunt, quia martyres: denique: *Empti sunt ex hominibus primitiæ Deo et Agno.* Proinde etiam jure merito in cælo visi sunt, quo et nos perducere dignetur Deus.

## CONCIO II.

CUR FUERIT A CHRISTO PERMISSA INNOCENTIIUM  
CÆDES.

I. Ut esset typus futuræ persecutionis. — II. In bonum infantum. — III. Ob Christi dignitatem. — IV. Ut essent præcones Christi nati. — V. Ut in illis punirentur parentes. — VI. In terrorem aliorum puero-  
rum.

## THEMA.

*Noluit consolari, quia non sunt.* Matth. II.

Non caret admiratione, quod Christus Dominus, qui venerat in mundum ut homines vitam haberent, permiserit occidi tam crudeliter Innocentes. Ipse enim est, qui postmodum in Oliveto salvos voluit esse discipulos, et solus ad necem ire, dicens: *Si ergo me queritis, sinite hos abire; augetque difficultatem, quod ipsiusmet Christi causa, infantes hi occisi sint inscii et immeriti.* Certe in simili casu dicebat Jonas: *Quoniam propter me orta est hæc tempestas, mitte me in mare,* Jon. I. Et S. Thomas Cantuariensis, cujus festum cras celebrabimus cum fugisset a regis Angliæ Henrici II. furore ad monasterium ordinis Cisterciensis Pontiniacense, videns propter se monasterio cladem imminere et minas intentari, sponte discessit, ne quid mali sui causa pateretur. Cur ego non idipsum fecit Christus? Cur passus est tam crudeliter mactari agnellos, quid id facile impedire potuisset? Exclamare hic luberet cum apostolo: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei? Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, etc.* Rom. XI. Sed conemur investigare causas aliquas. Magno enim Dei consili hoc actum est.

I. Ut hæc Innocentium strages typus esset futuræ persecutionis in Ecclesia. Ita v. Beda, hom. in nativ. Innocentium: *Si quando enim insignis aliqua fabrica est extruenda, prius conficitur aliquod illius prototypum seu exemplar.* Legimus in Exodi libro, cap. XX. quod cum Dominus vellet sibi ædificari a Moyse sanctuarium, in quo habitaret cum hominibus, vocasse ad se Moysen, et designasse ei totam ædificii fabricam, a minimo usque ad maximum, atque ita quidem, quasi in charta ei descripta esset. Unde sæpius remittitur ad exemplar, Exod. XXV. et XXVI. *Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Similiter ad templi Jerosolymitani extructionem dedit David Salomoni descriptionem porticus templi, ut dicitur, I. Paral. XXVIII. Ad finem vero capituli: *Omnia, inquit David, venerunt scripta manu Domini ad me, ut intelligerem universa opera*

*exemplaris.* Quo loco Abulensis, quæst. VII. opinatur Davidem accepisse a Deo templi et vasorum omnium ideam in membrana vel tabula descriptam. Jam si ad materiale templum præparavit exemplar tanta industria Deus, quanto magis ad Ecclesiæ universalis, cujus illud figura tantum et umbra erat? Et quod putatis exemplar Ecclesiæ fuisse? Dico ego cum venerabili Beda ubi supra fuisse stragem Innocentium. Magno nimis, inquit, constat hoc exemplar, quod sanguine describitur, sed magna etiam est Ecclesia nec opus unius diei, Esdr. X. *Opus grande est et latum,* Nehem. IV. *Vas admirabile, opu. Excelsi,* Eccl. XLIII. Quod si ingentis ædificii prima delineatio, sæpenumero centenis aliquot aureis constat: quid mirum si Ecclesiæ typus sanguine constiterit, quæ innumeris confessorum lapidibus extruenda et inexhausto martyrum sanguine conglutinanda erat? Monstratum fuit Moysi tabernaculi exemplar, dum esset cum Domino in monte: monstravit etiam nobis Ecclesiæ exemplar, cum esset nobiscum in terra. Idque tale est. Patrata est cædes in Bethlehem et in omnibus finibus: ita sæviit et persecutio in Ecclesia, quæ sola vera est Bethlehem et panis domus: panis scilicet angelici, panis eucharistici: et præterea in omnibus Ecclesiæ finibus nulla fuit Christianorum natio, quam turbo persecutionis non quateret. Interemptorum alii erant infra ætatem Christi, alii supra, alii juxta: ita Ecclesiæ membra, alia ante Christum, alia tempore Christi, alia post Christum. Parvulorum alii lactentes, alii balbutientes, alii loquaces: ita Christianorum alii incipientes, alii proficientes, alii perfecti. Alii a bimatu occisi, alii infra: *Ita Ecclesia alii doctrina et operatione perfecti, ut ait Beda ubi supra, alii simplices et idiotæ, fide fortes.* Alii erant nobiles, alii plebei, pari tamen discrimine, pari et corona: ita et Ecclesia martyres nobiles et ignobiles habet. Illi sine pavore occisi sunt, quia formidare necdum didicerant: ita martyres in Ecclesia stabant inconcussi et cervices porrigebant intrepidi. Illi in persona Christi quasi regni insidiatores sublatis, cum essent innocentes: sic et martyres et gentilibus. Illi quidem occisi sunt, sed Christus, qui quærebatur, evasit: ita tyranni martyribus et eripuerunt quidem vitam, nullatenus autem Christum. Illi suo sanguine propagarunt famam Christi, quam Herodes illo ipso extinguere sperabat: ita et nostri martyres sanguinem fundendo, agrum Ecclesiæ segete ditare vestierunt, quem tyranni eo ipso medio de metere parabant. Innocentium numerus fuit prope innumerus: similiter Christianorum numerus, millia millium, Apoc. V. *Pulcherrimum igitur Ecclesiæ exemplar Innocentes*

præbuerunt, et qualis ipsa futura esset, ad vivum delineaverunt. Antiquis, ut refert Pier. lib. LI. hieroglyphicon erat, quod arbor illa præ omnibus aliis floribus indui soleret, ut siquidem florisset, frugum ubertatem prædicere: amygdalus ista Bethlehem est, quæ dum prima omnium innumeris vestitur Innocentium martyrum floribus, quid aliud prænuntiabat, quam copiosam Ecclesiæ segetem et pinguedinem? Unde verissime canit in hodierno hymno de ipsis Ecclesia: *Salvete flores martyrum.* Per hoc etiam nos muniti sumus, nec miremur, si persecutionem patimur, quia hanc jam ab initio Ecclesiæ nostræ et quidem infantes pertulerunt.

II. Ob bonum et utilitatem infantum. Ita S. Fulgentius, sermon. de epiph. Chrysog. serm. de Innocent. ubi sic Herodem alloquitur: *Non solum istum puerum non invenisti, sed nec illis pueris aliquid nocuisti, imo inscius, quod illis proderat hoc egisti.* Horum enim aliqui vel in gentilismo nati erant, vel perversis a parentibus; ut proinde periculum esset, ne si vitam protraxissent, e numero illorum fierent, qui vociferabantur: *Crucifige, crucifige.* Impie certe tunc educabantur filii, ac quemadmodum sentit P. Casinius de Joan. Bapt. pag. IX. poterat facile accidere, ut horum aliqui immolarentur idolo Moloch a parentibus. Non fecerat injuriam fratribus suis Joseph, quod in ore sacci eorum scyphum suum insciis ipsis condiderit, licet eos propterea insequeretur, et veluti furti reos dure acciperet: hoc enim medio ad ipsum revocati sunt fratres, a fame liberati et in opulentam terram traducti, Genes. XLIV. Pari modo summa Dei gratia fuit, quod infantulis illis passionis propinavit calicem, et nesciis quodammodo infuderit: sic enim a miserrimo liberati ergastulo ad campos plus quam Elysios feliciter educti sunt. Nescio an nostrum quis hæsetaret, si ad regias vocaretur dapes. Vulnera, vincula, catastæ, gladii, ignes, martyribus nostris epulæ erant. Unde de S. Agatha recitat Ecclesia, in ejus officio in responsorio lect. II. noctur. I. quod lætissime et glorificanter ibat ad carcerem, et quasi ad epulas invitata agonem suam Domino commendabat. Marcus et Marcellianus tyranno dixerunt in tormentis, nunquam se tam jucunde epulatos, ut est in eorum officio, lect. un. De S. Laurentio non dubitavit scribere S. Augustinus, tract. XXVI. in Joannem, eum tormenta sua manducasse, beneque bibisse, ac tamquam esca saginatum et calice inebriatum, tormenta non sensisse. S. Tiburtius super prunas ignitas ambulans, visus est sibi super flores ambulare: S. Ignatius bestias sibi ad necem paratas vocat

*salutares, ut in ejus officio: S. Andreas crucem desideratam, ut in ejus officio.* Certe si vitam prodixissent Innocentes illi, sæpe sæpius eis eximendus fuisset e vagina gladius, et concupiscentia carnis propria jugulanda, ut experiuntur omnes Christo militantes. Annon igitur melius est, simul et semel porrigere cervicem ad certam victoriam, quam, dubio Marte toties sibi vim afferre? *Consummati ergo in brevi, scilicet tormento, multa expleverunt tempora,* Sap. IV. id est, tantum momento uno lucrati sunt, quantum vix alius toto vitæ tempore: *Quibus, ut ait auctor tractatus de stella de magis, lucra vitæ perpetuæ per hæc momentanea damna veleri compendio acquiruntur.* Unde S. Aug. serm. III. ait: *Nunquam Herodes parvulis tantum prodesse potuisset obsequio quantum profuit odio.*

III. Ob Christi dignitatem. Ita Palatius, in Matth. c. II. primo, quia cum Christus jam antea in circumcissione sanguinem fudisset, sine dubio effusioni illi merces sua debebatur. Quæ autem justior merces quam si infantulus Christi sanguis, infantium innocente sanguine compensetur? Jacob dum apud Laban ovium pastor esset, nil aliud pro mercede petiit quam oves varias, et sparso vellere maculosas, Gen. XXX. sed quo plures obtineret, virgas decorticasas bibenti objecit pecudi. Pastor noster Christus est vulneratus in circumcissione ovium suarum causa. Et quid mercedis petis, o Pastor? *Nihil volo, ait Jacob, sed si feceris quod postulo, iterum pascam:* petiitque oves variegatas. Itaque nil commodius Christo dari poterat, nisi infantes variis sanguinum maculis et sparso quodammodo vellere elegantes. Serviit ad hoc negotium virga Herodis decorticata, machæra evaginata. Deinde, in circumcissione sponsalia quasi cum Ecclesia Christus contraxerat (nuptiæ in diem passionis differebantur) nonne igitur merito arrham suam capiebat? Et quam commodiorem inveniemus nisi annulos illos aureos, aptissima digitorum Christi ornamenta? Secundo, debebantur ei titulo honoris; sic enim in adventu magni principis spectacula exhibentur, hastiludia instituuntur, pugilum certamina proponuntur magno athletarum discrimine: pari ratione Christo in orbem ingredienti, certamen hoc parvulorum utpote Christo parvulo congruum exhibetur; nam etsi nobis quidem id crudele patet, Christo tamen, qui coronam immarcescibilem athletic tribuit, spectaculum id jucundum erat. Immolabat David hostias, et holocausta pacifica coram Domino, quando arcam fœderis in civitatem suam intulit, II. Reg. VI. cur non debeatur hic honor Christo, quem arca figurabat? Tertio, debebantur titulo defensionis: jure namque naturali